DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

QUÆDAM

DE

PNEUMONIA

COMPLECTENS.

AUCTORE ALEXANDRO MOORE.

PNEUMONIAM pro themate selegi, quod nullum morbi genus magis periculosum est,—vix ullum cui plus levaminis ars medica adferre valet.

Bene a CULLEN definitur pneumonia: "Pyrexia; dolor in quadam thoracis parte; respiratio difficilis; tussis:" Et ab eodem species dantur duæ: 1mo, Peripneumonia; 2do, Pleuritis. Recte an secus species ita dividuntur, nosologiæ peritioribus dijudicandum est. Tuto quidem has duas pneumoniæ formas simul et conjunctum tractare licebit. Igitur, phlegmasiam pneumonicam depingere, tunc de diagnosi,

prognosi, et postremo de methodo medendi, pauca progrediar tradere.

MORBI HISTORIA.

SIGNA pyrexiæ solita hunc morbum ab initio comitantur. Ictus arteriarum frequentes, pleni, et duri, fere percipiuntur ; etsi, in nonnullis exemplis, præsertim sub initio morbi, vix modum sanitati congruum excedant. Elapsis paucis horis, dolor acutus in quadam parte thoracis ægrum corripit ; pars affecta interdum ita exigua est, ut ad punctum quasi referri queat : nunc e medio thorace quaquaversum ad scapulam vel spinam dorsi sese diffundit : unum tantum latus plerumque laborat, sæpius sinistrum. Accedit gravis spirandi difficultas, maxime sub inspirationem, molesta ita ut vix exerceri potest, nisi æger supinus vel in unum alterumve latus decumbat : dolor ex aëre in pulmones plenius ducto ita intenditur, ut æger fere spiritum prius comprimere necesse habet, quam pulmones rite ampleantur : ex hoc potissimum signo medici de natura morbi certiores facti sunt. Tussis sicca et molesta

ægrum exercit: hæc tussis nonnunquam ab initio humida est, et sputa haud parum diversa prodeunt; modo spissa et purulenta; modo tenuiora et viscida; sæpe sanguine tincta excernantur. Facies, oculi et fauces rubore suffunditur. Summa anxietas, nausea et dolor capitis sæpe superveniunt, et alvus manet fere compressa; etsi nonnulla dantur exempla in quibus alvus ab initio fusa est. Morbo ingravescente, respiratio valde anxia et laboriosa evadit; dolor acutus interdum ex uno latere ad alterum transvolitat, vel utrumque latus simul prehendit. Summa corporis jactatio et vigilia perpetuo ægrum assidue fatigant; vel, si in somnum propendeat, insomniis horrendis ita vexatur, ut ex eo nullatenus refectus exsurgat. Omnia symptomata febris ingravescunt. Vasa oculorum turgida fiunt; facies tumet; labia et gingivæ livescunt; vires penitus resolvuntur. Arteriarum pulsus abnormes evadunt, et adeo debiles sunt, ut digito facile comprimantur; sudores viscidi, gelidi in capite, collo, vel etiam super universum corpus erumpunt; denique, excretiones solitæ vel omnino suppressæ, vel inscie elabentes: delirium, com-

et tendinum subsultus gravissimas ægri ærumnas morte exoptata tandem esse finiendas denuntiant.

TERMINATIONES.

Inflammatio pneumonica terminatur resolutione, effusione, suppuratione, perraro gangræna.

Resolutio præcipue diebus morbi primis obvenit; aliquando ad usque diem decimum speranda erit, vel etiam ultra, si morbus remediis fractus fuerit. Interdum, morbo jam provecto, diarrhœa resolutionem induxit; nonnunquam hæmorrhagia, vel hæmorrhœa, vel epistaxis. Adsequente sudore, sæpe erysipelas crurum aut phlegmones resolutionem confirmasse dicuntur. Sudor quoque liquidus, ex toto corpore erumpens, morbi regressum præmonet; hoc vero, si pulmones haud venæsectione levati fuerint, prognosin propitiam vix præbet. Quod autem maxime optandum, pro nixu quasi proprio a natura ad morbum devincendum, usurpatum est, sputorum albescentium vel subflavorum crassiorum copiosa facilis exscreatio, tussi simul mi-

tescente et emolliente, quæ, si ante occurrerit, exacerbationem jam notatam fere semper depellit. Post autem sputa minus fausta videntur, et sæpe expectoratio, antea rite progrediens, tunc penitus cessavit, non nisi amoto malo reditura.

Terminatio morbi lethalis plerumque est effusio; enim sanguis in pulmonum cellulas effusus in cadaveribus fere omnibus e pneumonia mortuorum apparet, et hoc etiamsi primo morbi ingressu symptomata mitiora nil tale præmonere viderentur. Effusionem hæcce denotant: dyspnœa valde acuta, præsertim decumbente ægro, et decubitus in latus affectum molestior. Suffocatio exinde proveniens, nonnunquam admodum horrenda est; vasis pulmonum quasi penitus obstructis; liquor serosus sæpissime in thoracis cavum, vel in bronchia effusus reperitur, interdum pus valde simulans, et hoc præcipue si morbus ad diem ultra septimum provectus fuerit. Morbo longius provecto, ad diem scilicet circiter decimum quartum, nonnunquam antea, resolutionis spes fere rejicienda, et suppuratio pertimescenda erit: haecce inchoata, mitescunt plane dolores, ex pungentibus

obtusiores facti, et decubitus in latus affectum minus molestiam afficit. Pulsus fit mollior et plenior; rigores subinde concutiunt, et adest hectica. Pus quoque verum nonnunquam exscreatum videmus; interdum liquoris intra thoracem fluctuatio sentienda est, empyema denotans, vix nisi ope chirurgica amovendum.

Gangræna, exitus pneumoniæ maxime infelix, raro admodum supervenit: eam adesse docent sputa nigrescentia vel sanguine imbuta, spiritus fœtida, vox strepens, facies collapsa, oculi languidi nitore orbati, sanguis eductus nullam crustam coriaceam ostendens, pulsus valde debilis, dejectiones virides copiosæ, et urina rubrum sedimentum deponens.—De pneumoniæ sequelis, vomica, empyemate, cæterisque a scriptoribus notatis, non jam disserendum est.

CAUSÆ PRÆDISPONENTES.

Non omnis ætas neque conditio ex æquo pneumoniæ patet, neque omni anni tempore æque invalescit, nisi caloris et frigoris vices frequen-

ter eveniant: ex his autem mutationibus quovis anni tempore progignatur. Nonnulli medici sunt, quibus persuasum est, morbum non tantum e tempestate calida in frigidam subito versa, quam e frigore in calorem mutato pendere. Secundum horum itaque sententiam, frigus corpus proclive reddit, et calor proclivioribus morbum concitat: hinc pneumonia tempore verno et autumno maxime conspicitur. Homines robustos duro labori assuetos, temperamento sanguineo præditos, quorum fibræ rigidiores sunt et densæ, sæpius adoritur, quam molliores, qui luxuria diffluunt, et vitam desidem et otiosam agunt. Mares quoque præ fœminis hoc morbo sæpius plectuntur, maxime quod causis excitantibus magis obnoxii sunt. Nulla ætas ex hoc morbo omnino immunis existit: ex quinquagesimo ad sexagesimum ætatis annum frequentius homines invadit. Formatio thoracis prava, quæ impediat quo minus sanguis libere per pulmones transeat et congestioni itaque et omnibus malis ex hac causa insecuturis faveat, pneumoniæ proclivitatem præbet. Abusus vini et liquorum spirituosorum, evacuationes so-

litæ repressæ, et pulmonum tubercula, hisce causis accenseantur.

CAUSÆ EXCITANTES.

Ad duas classes hæ referri possunt; nimirum, ad eas quæ recta in pulmones ipsos agunt, et ad eas quæ totum corpus afficiunt. Ad priorem pertinent omnes vehementes pulmonum nisus, ut gravis vocis contentio, præsertim cantus et flatus, vapores acres, fumi acidi ex chemicorum officinis prodeuntes, et acria arsenico, sulphure vel acido muriatico expedita; aër vitiis corruptus, et injuriæ pectori relatæ, huc quoque spectant. Ex omnibus autem causis quæ pneumoniam concitant, frigus, præsertim cum humore conjunctum, et corpore calefacto admotum, jure frequentissima habetur. Ex frigore incaute suscepto solita excretio per cutem reprimitur, vasa extrema et cutis spiramenta constringuntur. Liquores frigidi in ventriculum assumpti, podagra, rheumatismus, et hepatitis ad pulmones translata, hunc morbum inferre dicuntur. Catarrhus et rubeola haud raro in pneumoniam abeunt.

DIAGNOSIS.

Pneumonia a catarrho sæpe tantum gradu differre videtur, tunc quoque iisdem fere remediis tractanda est. A pleurodyne pneumonia distinguitur dolore magis pressura aucto, interdum quoque tumore et rubedine cutis thoracem vestientis. Pulsus etiam durior, et dolor vehementior cum pneumonia adesse solent, et respiratio, pyrexia, lingua diagnosin adjuvant. Ab hepatitide distinguitur dolore minus acuto, sæpe ad summum humerum tendente, cubando in latus sanum vel pressura in regione hepatis aucto. Haec cum vomitu, dyspepsia et flavedine cutis et oculorum hepatitidem ex pneumonia satis distinguent.

PROGNOSIS.

Periculum pneumoniæ semper adest. Si vero ultra diem septimum tendatur, eventus lethalis minus expectandus est. Pyrexia vehemens vel respiratio valde difficilis periculum

haud bene denotat. Si facies turgida evadat, oculi rubri et suffusi, labia arida cum sudoribus circa caput, collum et pectus erumpentibus, delirio, pulsus celeri et irregulari, æger haud facile e tanto discrimine resurgat.

Tussis frequens et sicca; dolor acutus ex uno latere ad alterum lancinans, vel partem primum affectam destituens ad aliam translatus; magno inquietudo et anxietas; urina limpida et copiosa; spiritus subito citatus, etiamsi alia signa mitescant, morbi graviores timorem jure incutiunt, in genere, quo magis urget spirandi difficultas, eo in statu magis lubrico versatur æger.

Huic morbo finem felicem sæpissime attulerunt sputa materiæ viscidæ et subflavæ copiosa, libera, sine tussi vehementi facile educta, sanguine nonnihil tincta; imminuta febris quoque; dyspnœa minus gravis; sudor copiosus et universus; eruptio erythematica in quavis parte externa oborta; urina turbida sedimentum copiose deponens; sanguinis fluxus e naribus vel venis hæmorrhoidalibus; necnon aliæ evacuationes morbi cursum feliciter præcederunt.

RATIO MEDENDI.

In hoc ac in aliis morbis inflammatoribus praxin nostram secundum vehementiam symptomatum, durationem morbi, ætatem et vires ægri, oportet nos dirigere. Primo curandi consilio sanguinis detractio, emplastra vesicatoria, cathartica et regimen antiphlogisticum optime convenient. Sanguinis detractio libera et sæpius repetita, in plerisque hujus morbi exemplis remedium ei maxime accommodatum. De hac re nulla regula generalis tradi potest.

Sanguis ex amplo vulnere subito detrahendus est, donec arteriam pulsus semet submittat, vel proclivitas ad animi deliquium supervenerit. Raro evenit ut una sanguinis detractio, utcunque ampla, morbum vincat; sæpe enim dolor et spirandi difficultas, quæ sanguinis missio mitigavit, pristinis viribus brevi redeunt; quod si accederit, sanguis eadem copia iterum detrahendus est, et etiam, si res postulet, eodem die repetetur. Ægri sæpenumero secundam vel ter-

tiam sanguinis detractionem melius quam primam ferunt. In ætate valde provecta hoc remedium parum idoneum est, nisi signa inflammatoria vehementer urgeant; tunc caute sanguinis detractio pro signorum ratione et ægri viribus instituenda est; nam in omnibus fere exemplis, sola salutis redeuntis spes ex hac evacuatione prudenter facta pendet. Si venæ incisio pro causa qualibet vitanda sit, cucurbitula cruenta vel hirudines thoraci externo imponere possumus; hisce autem minus confidendum est.

Post venæ sectionem, inter optima sunt epispastica, quæ semper sine periculo et fere quovis morbi stadio cum maximo levamine adhibere possumus. In quibusdam lenioribus morbi exemplis, vesicantia sola sine ulla sanguinis eductione pneumoniam fugarunt.

Alvus, ab initio morbi penitus deplenda, progressu laxior tuenda est, ope præsertim purgantium salinorum; ægro autem jam debili et morbo declinato purgantia minime sunt usurpanda. Enemata emollienta, ad alvum laxam tuendam, bene conveniunt.

Diarrhœa, si non sponte advenerit, minus optanda; et etiam sponte veniens expectorationem et resolutionis signa haud raro sustulisse visa est.

Expectorantia.—Cum natura sæpe hac via ad morbum solvendum utitur, remediorum quæ tali facultate polleant usus optimo fundamento nititur: inter expectorantia nulla potentius valent quam vapores aquæ calidæ, cum aceto commisti, in pulmones inhalati.

Emetica,—dosi exigua, ita data ut nauseam tantum moveant, usui commendata fuere; autem cum periculum est ne vomitum concitent, ab iis omnino abstinere melius erit.

Opiata,—ineunte hoc morbo, antequam sanguinis destractio et epispastica dolorem et respirationem difficilem sublevarunt, potius nocent, et expectorationem male cohibere dicuntur; autem in provectiore pneumoniæ gradu, cum tussis potissimum molesta dolorem adaugeat et somnum interpellit, opium, una cum remediis expectorationem moventibus, maxime cum beneficio adhibetur. Mucilaginosa quoque tussi deliniunt.

Digitalis Purpurea a quibusdam plus æquo fortasse laudata est; morbo autem repletionibus redacto, si pulsus perstant durior, celerior, auxilium quoddam adferre potest.

Refrigerantia, quæ dicuntur acida, præcipue vegetabilia, fructus subacidi recentes, sales nonnulli neutri, utilia sunt.

Diaphoresis sponte veniens magnopere morbum levat; arte medica educta minus juvare videtur; ni autem sudor liquidus et diffusus sit, vix profuit.

Per totum hujus morbi æger in lecto detinendus est, capite et humeris quantum fieri potest elevatis. Cubiculum in quo decubuit in media temperie servandum est. Vires cibo leviter nutriente sustinendæ sunt, et potus tepidi, tenues et diluentes cum acidis vegetabilibus commisti. Ex omne frigoris accessu diu cavendum, et omne intemperantiæ genus fugiendum; non alia inflammatio ad redeundum adeo proclivis existit.

FINIS.